

ANIMADVERSIONES CIRCA LAMPADAM LULLIANAM

13 Martii 87.

Illud in principio huius speculationis est animadvertendum, quod fundamentum huius artis et maxima efficaciae pars in ordine et modo procedendi consistat. Cum ergo multorum sint methodorum species, unica quae huic congruit negotio ut ab aliis distinguatur, illud est animadvertendum, quod methodorum quaedam sunt "divisivae", quaedam "compositivae", quaedam "inquisitivae", quaedam "institutivae", quaedam "constructivae", quaedam "mixtae".

"Divisiva" quidem methodus est ut "definitiva", in qua posito aliquo subiecto seu definibili procedimus, primo considerando eius genus, utpote in quorum universitate consistat, deinde primas differentias, tandem ultimas atque proximas immediatasque usque ad propriissimam unam. Et hic modus adsimilatur cognitioni, quae procedit a toto indistincto atque confuso ad partes, ut a sensu hominis integri ad resolutionem in partes, ut sunt caput, manus etc., et inde ad carnem, ossa etc., et inde ad quatuor humores, ex his ad quatuor elementa, ultimo ad materiam quae est corpus simpliciter, et formam quae est anima. Ita definitio resolvit nomen hominis in partes eius definitionis.

Methodus "compositiva" est ut ordo demonstrationis; cum enim propositum fuerit, an passio praedicata de subiecto aliquo dicatur, illa assumtis mediis multipliciter discurrendo praedicatum cum subiecto componit vel in subiecto dividit.

Methodus "inquisitiva", quae eadem est quae "inventiva", est quae procedit a partibus, principiis, utpote a particularibus et sensibilibus, quae sunt partes et principia cognitionis, ad universalis et intelligibilia; quo pacto per inductionem et exempla arguuntur universalis, ex quibus tandem scientia integratur.

Methodus "institutiva" est quae ab universalibus ad particularia procedit, et haec est accommodata ad inventionem, complementum, ad gignendam doctrinam in aliis; sic enim proponuntur primo praeceptiones communes et regulae universales, antequam ad exceptiones et particularia singulisque propria progressus fiat; alioquin eiusdem crebra repetitio accideret, ut si quis velit docere naturam animalium et in singulis speciebus innovare intentionem universalis, cum expedierit primo dixisse quod est omnibus commune, secundo quod aliquibus, tertio quod singulis.

Methodus "directiva", quae "compositivae" affinis est, est quando a simplicioribus et elementis progressio fit ad elementata, sicut accidit apud geometras et arithmeticos; qui a notitia puncti, lineae, anguli procedunt ad notitiam figurarum, quae ex istis integrantur atque formantur; et hic modus ultimus facile admiscetur cum aliis quibusdam, utpote modo directivo, modo institutivo. Praesertim iuxta hunc modum ars praesens regulatur; procedit enim a simplicibus et elementis doctrinae et scripturae ad proximam compositionem, et a proxima ad remotam et ultimam. Sicut et proportionatur ordo iste procedendi ordini grammaticorum; sicut enim grammatici suum habent alphabetum continens elementa perpauca, ex quibus infinitae conflantur dictiones, ita haec ars simplices quosdam terminos recipit, ex quibus infinitae conflantur propositiones, enunciationes, definitiones, et argumentorum infinita media desumuntur, licet selectissimorum mediorum magna, sed non innumerabilis potest esse copia. Non enim tot existunt quibus demonstramus, quot esse possunt quibus persuademus media; neque quibus demonstramus graviter et persuademus, eorum, quibus leviter persuadere et demonstrare possumus, numerum exaequare possunt. Istis simplicibus elementis; quae triplici alphabeto (quorum singula novem constant elementis) conflatur,

succedit, ubi videbitur combinatio ex duobus elementis verbi ad syllabarum constitutionem, quae proportionatur primae intellectus operationi, quam sequitur discursus, quae consistere videbitur in combinatione trium elementorum, sicut omnis argumentatio, quaecumque et qualiscumque sit, neque plures neque pauciores tribus terminos assumit.

Principia ad plura sese extendunt quam causae (Deus est causa, sed non principium), magis etiam sunt generaliora quam elementa. Elementa dicuntur quae sunt partes vel ex quibus est aliquid et in quod resolvitur aliquid. Actio est ipsa operatio quod ex ipso actu consequitur *** compositionem) affirmationem vel negationem.

CAPUT 4.

Circa capitulum quartum animadvertendum est, Lullium ad novem subiecta reducere omnia de quibus aliquid dicitur, utpote universa, quae et qualiacumque sint, conveniunt in considerationem, ut de ipsis aliquid vel negetur vel affirmetur vel quomodocumque consideretur pertinere ad horum aliqua vel aliquod. Et certe nihil esse potest quod ipsorum aliquam subterfugiat rationem, quod inquam ad unius vel plurium istorum debeat figurari et formari, ditari. Itaque ad haec novem omnia dicibilia, omnia proponibilia reducuntur, et nihil extra haec novem fingi potest, quandoquidem ne ipsa quidem figmenta, quae fingentis instrumenta et decipientis sunt et errantis, ad proprium genus reducuntur. Primum igitur quod in hac arte debet esse manifestum, est ratio qua quodcumque propositum ad suam classem referatur. Huic considerationi succedit afferre novem istorum definitiones per singula, quae ita sunt propriae generibus ipsis seu qualitatibus subiectis, ut connumerabiles et communes, appropriabiles et appropriatae esse possint singulis et universalibus et particularibus et ad ipsa reducibilibus, ut mox per principia et elementa illius secundum eam rationem regulatae deducuntur.

CIRCA QUARTUM ET QUINTUM CAPITULUM.

Ubi sese omnia sunt explicata, illud est retinendum, quod licet omnia dicibilia, considerabilia, prout subiiciuntur demonstrationi et considerationi, sunt subiecta, et omnia una et alia ratione possunt esse praedicata, ut explicatur in textu; sunt tamen quaedam enumerata, quae sui ex natura magis subiecti, quaedam autem praedicati naturam subeunt, in et ad insinuandam formam artis oportet definiri et ad propriam orbitam referri universa. Iam quia pro usu praesentis artis haec non solum debent memoria teneri, sed illi etiam promptissima esse, ut promptissima desideratur ab eo, qui artem exercet, conceptionum et argumentationum executio; ideo brevem hanc rationem instituimus, qua quisque promptissime perquisita concipere possit, quia promte oportet habere alphabetum et novem praedicatorum absolutorum, praedicatorum respectivorum rotam, et rotam quaestionum quae sunt quatuor numero, quarum singulae novem constant terminis, per easdem novem literas significatis. Eliget ibi quatuor hominum genera, ut habeas senes novem notos, novem notos pueros, novem notas ancillas, novem nota animalia vel alius generis homines, amicos etc. Et nomina illorum sint vel fingantur talia qualia habent per ordinem primam literam respondentem singulis istorum novem elementorum, utpote habeas per B Barnabam, per C Caesarem, per D Davum, per E Eugenium, per F Fabium, per G Guielhelmum, per H Honoratum, per I Iohannem, per K Karolum. Eodem nomine appellare pueros, puellas et servos non inconvenit. Iam ubi elegeris homines pro significandis terminis huius artis, verbi gratia subiecta

Barnabas intelligatur vel Dei statuum habens, Caesar intelligatur angelicus alatus, Dionysius intelligatur astrologus vel sphaeram habens coeli, Eugenius intelligatur esse cum coniuge. Et ita per ordinem est de caeteris suo modo. Unde pro litera C inter subiecta, ut quamprimum occurrit Caesar, occurrit eius comes, instrumentum et formatio, et consequenter significatio.

PROBATUR MUNDUM ESSE AETERNUM PER DEDUCTIONEM PRIMAE FIGURAE.

Posito D in centro, quod significat coelum et mundum, primo fiat deductio per novem principia simpliciter. Primo in B: quod semper est bonum, semper bonum est esse; mundus semper est esse bonus; ergo semper est esse. Probatur minor, quia nulla est ratio, qua vel pro tempore vel pro forma malus dici possit.

C.

Potentia passiva materiae non habet aliquid extra universum, quod ipsum impediat; ipsa enim est universa, et subiicitur magnitudini et moli universae. Si ergo non est vacuum et inane extra illud, quod implet omnia, ergo non est signum inanitionis. Et sicut non est signum principium quantitatis, ita nec temporis. D.

In universo est potentia qua semper esse potest, et per consequens est incorruptibile, ut indicat eius motus continuus et regularis; omne autem incorruptibile idem est ac ingenerabile; tale autem est aeternum. E.

In motoribus coelorum vel anima mundi et orbium, quae sunt formae habent potentiam perpetuo retinendae materiae in ea in qua sunt dispositione; ergo cum haec potentia non debeat carere actu suo, mundus est aeternus. Antecedens est manifestum, ex eo quod per oppositum omne incorruptibile est ingenerabile. F.

Non est ratio neque sensus, qui possit attribuere principium motui et vegetationi universi, quia in ipsis, quae sunt, mobile est ante motum, quia nihil movetur nisi quod potest moveri, et motus est ante generationem mobilis, quia nihil generatur nisi de potentia reducatur in actum. G.

In mundo est appetitus et appulsus ad esse semper, immo materialia omnia naturaliter desiderant servari in esse inconsulto, quod quidem desiderium si frustratur in particulari, non debet frustrari in natura universa, in qua excellentissimus motus reperitur. H.

In virtute naturae mundi est, ut perpetuo possit movere suum corpus, quia animae mundi nihil est contrarium, quia ipsa est forma formanda; omne autem quod corrumpitur, impeditur: licet autem particularibus conveniat impedimentum et corruptio propter contrarietatem, universo tamen, cuius partes constitutivae sunt contrariae, idem convenire non potest. I.

Melius est esse quam non esse. Ita quoque melius est fuisse quam non fuisse, melius futurum quam non futurum; tale enim debet esse quod verum et bonum est, et a quo amotum nihil est. K.

Finis et perfectio omnis operationis est consistentia et esse; ergo universi operis universa consistentia; haec vero se extendat ad omne tempus oportet. Ergo est aeternus. B. C.

Particulare bonum potest esse in parte; sed universale bonum, quod idem maximum est bonum, debet esse in toto. Ergo totum facit durationem. B. D.

Quod est bonum, debet esse; universum est bonum et maximum bonum et quod continet omnia et ad quem terminantur omnia quae terminantur, ipsum autem non habet ad quod terminetur; ergo est finis et non finitum. B. E.

Bonitas mundi tanta est, ut possit se ipsam servare, quia eius potentia non limitatur ad aliquid aliud, neque habet contrarium non solum quod vincat illam nec et quod obsistat illi; ergo absolutam habet et singularem potentiam. B. F.

Bonitas mundi non potest intelligi neque comprehendi corruptibilis; ergo non est asserenda eiusmodi. B. G.

Bonum habet id bonum; mundus cum sit perfecte bonus, perfectam habet bonitatem; haec autem non erit, si assimiletur rectae non circulari. B. H.

Mundi bonitas semper est in eodem vigore; ita enim viget nunc, ut semper viguisse visum est, ut patet ex numero specierum non exacto, sicut et variato et mutato; quanto magis talis virtus tribui debet universo, quod omnia instaurat et continet.